



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

57. An percussor notorius clerici, eo ipso statim sit semper vitandus? Et
quæritur, quot autem testes requirantur, vt festum dicatur notorium in
clerici percussione? Et an scilicet, si aliquis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

operantem, atque ad eod non sunt simpliciter inter-
ruptæ ex sola diversitate subiecti.

4. Ad secundum responderetur esse disparem ratio-
nem, quia dominus earum rerum cui offensa fit, &
ad quem talis iniustitia terminatur, est unus atque
idem, & sic plures asportationes diversarum rerum
continuatæ ex parte temporis non constituunt plura
facta, nec plures transgressiones simpliciter; sicut
illæ duæ actiones, quibus duo homines interficiun-
tur: unde si illæ res furto sublatae essent diversorum
dominorum, essent plura facta, & plures inducerent
censuras.

5. Notandum est hic obiter ex dictis. Primò quòd
ligatus una censura est adhuc capax alterius, non
tamen diversæ rationis, sed ejusdem: unde qui se-
mel Clericum percussit, & contraxit excommunica-
tionem, potest nova censura ligari, iterum pecu-
tendo eundem, vel alium Clericum.

6. Secundò plures censuræ incuruntur ab eo, qui
facit unum actum habentem plures circumstantias,
pro quibus singulis lata est sententia censuræ, si ta-
men dictæ circumstantiæ mutant speciem actus mo-
ralis: secus autem, si non mutant speciem, sed sint
ejusdem speciei. Unde percussus Sacerdotem qui si-
mul est Diaconus, & Subdiaconus, non incurrit
plures excommunicationes; circumstantiæ enim
Sacerdotis & Diaconi non mutant speciem in hoc
casu, sed accidentaliter tantum se habent ad transgres-
sionem legis, quæ solum spectavit reverentiam sta-
tus Clericalis, non verò Ordinem, quo aliquis est
initiat. Sicut è contra si quis percuteret Mona-
chum initiatum prima Tonsura, duas incurreret ex-
communicationes, nam illius percussio censetur du-
plex transgressio, una contra reverentiam debitam
statui Clericali, altera contra reverentiam debitam
statui Religioso; nam circumstantia Monachi diversa
est à circumstantia Clerici, cum alia sit consecratio
Clerici, alia Monachi. Ita Suarez de cens. disputat. 5.
sect. 3. num. 15. & Bonacina loco citato num. 8. & Cor-
nejo 9. 5. & ult. ubi supra.

7. Tertiò nota quòd tot censuræ incuruntur, quot
sunt Superiores prohibentes, quando habent diversam
potestatem: secus autem si eandem, nam in isto casu,
quamvis ferentes censuras multi sint materialiter, ta-
men formaliter in potestate habentur pro uno, & non
censentur velle ferre plura præcepta formaliter distin-
cta, seu condere novum jus, sed hoc non accidit in
primo casu, ergo. Unde ex his inferitur ligari duplici
censura, qui facit aliquid prohibitum à jure commu-
ni, & à jure particulari, aut prohibitum à Papa, vel
ab Episcopo, modò isti intendant novam censuram
imponere. Item dicendum pluribus censuris ligari
eum, qui non denunciatur, v. g. blasphemum, si ponamus
sub excommunicatione deferendum ex præcepto
Inquisitoris & Episcopi: secus autem dicendum est
de illo, qui facit contra leges sæpius repetitas & in-
novatas ab eodem Superiore sub excommunicatione,
non enim contrahit nisi unam excommunicationem.
Ita Bonacina loco citato n. 111. & seqq.

RESOL. LV.

In quadam Civitate hujus Regni quidam percussit Cle-
ricum publicè, & notoriè, quæserunt statim à me, an
esset vitandus? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Ref. 14.

§. 1. Hic casus erit multum practicabilis, & prima
facie affirmativè aliquis poterit respondere,
quia ex Concilio Constantiensis, ut communiter DD.
docent, tenemur vitare publicum Clericum percussio-
nem, sed in casu proposito ille percussit Clericum
in publica platea coram omni populo. Ergo, &c.
Tom. V.

2. Sed his non obstantibus tunc negativam sen-
tentiam consului; nam ut quis dicatur publicus per-
cussor Clerici, v. illum vitare teneamur, necesse est,
ut talis percussio nulla possit tergiversatione celari, &
nullo juris remedio niti. Cum igitur in hoc casu, &
ferè in omnibus similibus possit percussor Clerici no-
tarius dicere, se fuisse ebrium, aut in suam justam de-
fensionem fecisse, vel ignorasse excommunicationem
percussioni esse annexam, & alia tergiversatione celari,
allegando in judicio rumoris falsitatem, idèd
quandiu non constet per judicis sententiam, illum
juris remedio non posse excusari, nunquam dicitur
notarius Clerici percussor. Et ita hanc sententiam do-
cent Covarruvias in cap. alma mater, part. 1. §. 2. n. 7. &
Fagundez præc. 1. lib. 2. c. 5. n. 12. ubi sic asserit. Ut quis
dicatur publicus percussor Clerici, ut illum vitare te-
neamur, requiritur, quòd nulla tergiversatione celari
possit; Unde licet ea percussio notoria sit, & patens
multis, si tamen non sit notorium iis, qui illam vide-
runt, percussorem nullam habuisse legitimam excusa-
tionem, qua in eo facto à peccato excusaretur, adhuc
non censetur vitandus. Opus est ergo, ut constet per-
cussorem nullam habuisse causam percutiendi, ut evi-
tetur. Nam si potest probabiliter aliquam allegare ve-
ram causam, qua à peccato excusaretur, quandiu non
constiterit non ita esse, non erit vitandus. Hoc autem
constare non potest, nisi per judicis sententiam, vel
per facti notorietatem. Quamobrem rarò continget
percussorem Clerici ita esse notoriam factò, ut non
possit aliquo juris remedio, aut probabilitate aliqua
excusari. Ita Fagund. & ante illum Sayrus de cens. lib. 2.
cap. 12. n. 18. Igitur ex superius adductis censui, con-
sultentes non fuisse adstrictos vitare supradictum pu-
blicum Clericum percussorem, & hæc notentur à Con-
fessariis, quia passim erunt obvia, & à multis scrupulis liberi erunt.

RESOL. LVI.

An qui percussit Clericum publicè, & notoriè, sit statim
vitandus ante judicis sententiam? Ex p. 5. tr. 9. Ref. 61.

§. 1. Casus est frequentissimus, & ad illum negativè
respondet Cælestinus in comp. Theolog. mor.
tr. 3. cap. 9. diff. 3. Nam ut vitetur publicus percussor
Clerici, tanquam excommunicatus, necesse est ut talis
percussio nulla possit tergiversatione celari, & nullo
juris remedio, vel suffragio excusari; cum igitur in
hoc casu, & ferè in omnibus similibus, possit percus-
sor Clerici notarius dicere fuisse se ebrium, aut in
suam defensionem fecisse, vel ignorasse excommuni-
cationem percussioni esse annexam, & alia tergiversa-
tione celare crimen, allegando in judicio rumoris fal-
sitate, ideo quandiu non constet per judicis sen-
tentiam illum juris remedio non posse excusari, nun-
quam dicitur notarius Clerici percussor, & ideo non
est vitandus ante sententiam judicis, qui cum debet
citare ad allegandum pro se. Ita Covarr. in cap. Alma
mater, part. 1. §. 2. n. 7. & alii. Quamobrem rarò contin-
get percussorem Clerici ita notoriam esse factò, ut
non possit aliquo juris remedio, aut probabilitate
aliqua excusari. Ita Cælestinus, qui citat Fagundez
præc. 1. libro 2. cap. 5. num. 12. quem ego ante illum ci-
tavi in 3. part. tract. 5. resol. 14. Vide etiam Coninch de
Sacram. disputat. 14.

Sup. hoc in
Ref. præte-
rita & in
aliis ejus
not.

Quæ hic est
Ref. antecè-
dens.

RESOL. LVII.

An percussor notorius Clerici, eo ipso statim sit semper
vitandus?

Et quaritur, quot autem testes requirantur, ut factum
dicatur

O

dicatur notorium in Clerici percussione?
Et an sufficiat, si aliquis notorie consuluit, vel mandavit,
aut ratam habuit, vel non impedivit percussorem
Clerici, sit evitandus, sicut notorius percussor? Ex
p. 9. tract. 4. Ref. 18.

Sup. hoc in
duabus præ-
cedentibus
Ref. & sup.
in Ref. 51.
Notandum,
& superius
in tr. 1. Ref.
50. §. Sed ex
his, & seq.

* Quæ hic
sup. Ref. 55.

Sup. hoc in
Ref. seq. &
sup. in Ref.
51. §. Nota
tamen, ante
med. à veris.
An notorie-
tatem, & inf.
in Ref. 74 §. 1.
inter prin-
cip. & med.
veris. Vel
quod no-
tum.

PRæcognoscibilis est iste casus, & de illo ego beni-
gniores opinionem dedi, quam me citato, se-
quutus est postea Pater Baunius in *Theol. mor. tom. 2.*
disp. 5. tr. 4. §. 2. ubi sic ait: Quæritur, an qui Clericum
notorie percussit, vitari debeat? Affirmativa nonnullis
placet, idem quod Constantiense Concilium expresse
habeat, publicum Clerici percussorem vitandum esse.
Contraria tamen sententia defenditur à Covar. in *cap.*
Alma mater. p. 1. §. 2. n. 2. Sayto de *conf. lib. 2. c. 11.* Rebut-
fo in *concordata rubrica de excom. non vitandis.* Sentit
idem Fagundez *Præf. 1. lib. 2. c. 5. n. 12.* Diana *p. 3. tr. 5.*
ref. 14. * Negant enim hi Authores, percussorem Cleri-
ci vitandum esse, nisi postquam constiterit, eum ius-
tam causam nullam habuisse Clericum percutiendi:
quare, licet percussio sit notoria, & patens multis, si ta-
men non sit illis, qui ejus percussione sunt confecti
notum, percussorem excusandi sui legitimam nullam
habere causam, à qua in eo facto excusetur à peccato,
non est eorum opinio vitandus: unde, cum de eo
constare nequeat, nisi per facti notorietatem, aut sen-
tentiam Iudicis, ante eam non dicatur notorius Cleri-
ci percussor, ac vitandus. Diana loco ante citato. Quot
autem testes requirantur, ut factum dicatur notorium
in Clerici percussione, satis non constat. Quinque ad
id non sufficere, tradit Aragon. *2. 2. q. 10. art. 4.* imò ne-
que sex, nisi majorem partem Congregationis com-
ponent, dicit Reginald. *lib. 1. prax. c. 10. n. 12.* Septem
minimum de Communitate exigat, ut facti notorie-
tatem inducant, scripsere Marius Anton. *ref. lib. 13. ref.*
11. Adrianus in *tr. 4. de Sac. Euchar. decem* postulat.
Communis est opinio, id iudicio committendum esse
prudenter viri, qui ex variis circumstantiis, qualitate
actus, loci, & temporis, arbitrabitur, quodnam factum
dicatur notorium. Quare non est evitandus in com-
muni vita, congressusque percussor Clerici, nisi cum
est publicus, ac notorius; pro tali autem non est ha-
bendus, nisi cum percussio nulla tergiversatione ela-
ri, aut juris remedio nisi potest; juris autem remedia
sunt, Clericum ab ebrio percussum esse, aut à nescien-
te, ac ignaro tali actioni censuram annexam esse, aut
ad sui defensionem. Quid? quod causari hic potest,
injuste de percusso Clerico diem sibi dici; innocen-
tem se esse; in ube, cum cædes, aut injuria Clerico
est facta, non fuisse? Hæc ergo, aut eorum aliqua,
quandiu potest percussor culpæ suæ prætexere, publi-
cus dici nequit, & notorius esse, nec is consequenter,
cujus colloquia, congressusque vitare oporteat. Ad
id enim est opus, ut constet, nullam habuisse causam
percutiendi, non fecisse defendendi sui gratia; nam si
potest probabiliter allegare aliquam veram causam,
qua in eo facto à peccato excusetur, quandiu non
constiterit non ita esse, non erit vitandus: hoc autem
constare non potest, nisi per Iudicis sententiam vel
per facti notorietatem. Quamobrem raro contingit,
percussorem Clerici ita esse notoriam facto, ut non
possit aliquo juris remedio, aut probabilitate aliqua
excusari. Hucusque Baunius, & iterum ego: quod valde
notandum est à Confessariis, & Responsoribus Ca-
suum conscientie: nam ex his à multis scrupulis, &
anxietatibus, tam ipsi, quam poenitentes liberi erunt.
Et idem etiam hic apponam verba Ioan. Garciae in
Sum. moral. tr. 1. diff. 3. dub. 2. punct. 5. n. 42. ubi sic in-
quit: [El publico percussor no se ha de evitar, si po-
test alguna tergiversatione celari ejus percussio; de suerte
que si no fue la percussione delante todo el pueblo; ò
convencido della por sententia, ò confession del reo,

atque mas aya rumor, y fama que uno sacadio al
Clerigo, no se ha de evitar.] Ita ille.
2. Sed hic discutendum est aliud dubium, an scilicet,
posito, quod aliquis notorie consuluit, vel men-
davit, aut ratam habuit, vel non impedivit percussio-
nem Clerici, sit evitandus, sicut notorius percussor?
Et respondeo negativè, non solum, quia sicut consu-
lens, mandans, &c. non incurrit hanc excommuni-
cationem ex dispositione Canonis, *Si quis fuerit*,
nisi Summi Pontifices per lita specialia id expresse
fuerint: ita etiam, dum Concilium Constantiense dum-
taxat jubet vitare nos debere notorios percussores,
in ejus dispositione non includuntur consulens, man-
dans, &c. non solum ea ratione, quod in odiosis ver-
ba sunt strictè ad litteram intelligenda, pro allegata
à Mario Antonino *lib. 1. var. ref. 69. n. 2.* sed etiam,
quia istæ causæ non incurrit, quando efficaciter non
influent in effectum; & ideo licet possit esse notorius
episcopium, mandatum, ratum habitio, &c. non potest ta-
men esse notorius ipse influxus efficax, qui est causa
immediata incursum in ipsam excommunicationem
& per consequens, nisi præcedenti legitima proba-
tione. Et ita hanc sententiam ex multis aliis ratio-
bus firmat Leone de *conf. recollect. 5. n. 335.*

RESOL. LVIII.

Olim interrogatus fui, quot testes requirantur, ut factum
dicatur notorium in percussione Clerici? Ex part. 2.
tract. 16. & Misc. 2. Ref. 2. aliis 24.

§. 1. **N**otitiam quinque hominum non efficere no-
torium facti, putavit Pet. de Arago. in *2. 2. q. 10. art. 4.*
Nec etiam notitiam sex hominum illud facere
potest, nisi hi sint major pars illius Congregationis,
putavit Reginald. in *praxi, tom. 1. lib. 1. cap. 10. n. 12.*
2. Sed Mascardus de *prob. tom. 2. com. 110. n. 1.* &
& Marius Antoninus *variar. ref. lib. 3. ref. 1. n. 10.*
putant ad inducendum notorium, ad minus septem
testes requiri. Immo Adrianus in *4. tr. de sac. Eucha-
rist. non longe à fine, §. oritur questio*, extendit ad decem.
3. Communiter verò DD. hoc relinquunt iudicio
prudenter viri, ut ex variis circumstantiis, & qualitate
actus, loci, & temporis arbitrerentur, quod factum dica-
tur ita notorium, ut nulla possit tergiversatione ce-
lari: communiter autem ex tribus causatur notorium,
scilicet ex hominum scientia, & loci, & temporis
qualitate. Ita post DD. quos citat, & sequitur Bo-
nac. de *conf. disp. 2. q. 2. punct. 1. §. 1. n. 5.* tenet etiam
Sayrus de *conf. lib. 2. cap. 12. n. 2.*

4. Hinc colligit ex Navarro & Soto Avila de *conf.*
p. 2. n. 6. disp. 2. dub. 4. percipientem Clericum coram
decem, vel duodecim non esse notorium in magna
civitate, bene tamen in oppido parvo, vicinia, seu
collegio.

RESOL. LIX.

An dubius de percussione Clerici teneatur vitare percus-
sorem?

Et docetur, ut teneatur vitare excommunicatum de-
nunciatum, non sufficere dubium adhuc prudens de-
nunciations, sed requiri notitiam illius moraliter cer-
tam, quod excommunicatio sit expresse denunciata.
Ex p. 4. tract. 3. Ref. 71.

§. 1. **R**espondeo quod ut teneatur vitare per-
cussorem Clerici, non sufficit dubium,
quamvis prudens notorietatis, sed requiritur notitia
moraliter certa. Ita Hurtado de *excommunicatione*, in
disp. 11. difficult. 3. num. 10. qui etiam num. 7. ex Suarez
docet.